

1143

C O D I C E S

1144

multo ante an. 1454. susceptus; ait enim Noster se eum, quem nec docta sapientia, nec experientia longa, sed magis noua electio fecit priorem. Concludit: *Vale. et noueris scriptum quia prior esse debet in onere. qui prior constituitur in honore.*

VIII. fol. 245. p. 2. Prologus in opusculum quod dicitur *stillam ligni uite. et flos agri celestis.* Incipit: *Exactionis tue instancia uictus &c.* De titulo: *Hec autem que scribo valde modica dico. quia iuxta sententiam prophetarum omnia quecumque sancti dei homines de celestibus loqui potuerunt. stillam paruulam nominauerunt. Unde et huic opusculo. stillam ligni uite et florem agri celestis nomen dedi.* Incipit illud: *Vincenti dabo edere de ligno uite &c.* et de celestibus gaudiis solide et pie differit. Ultima sunt: *Scriptum est enim. Et populus meus uidebit gloriam domini. Cui est gloria &c.* Non inuenio illud in *Bibl. Mellic.* saepe cit. E clausula miniata: *Explicit per quendam professum Mellicen.* subit coniectare, *Wolfgangum* ipsum autorem esse, nomenque suum modeste suppressere; quomodo enim ille Sodalis sui nomen nescisset?

IX. fol. 250. *Epistola beati Bernardi ad parentes proprios.* Incipit: *Sola causa qua licet parentibus non obedire deus est &c.* Finit: *in alio seculo simul felici et inseparabili societate in eius amore uiuamus. Per infinita secula seculorum. Amen.* Supposititia, quam et stilus prodat, et ipsa

Bernardi respuat historia, et editores ejus adcuratissimi ignorarint. Laborem scribendi in hoc terminavit Coenobita noster *Mellicensis* hac nota miniata: *Finit scriptum presens quinta mense febrili Anno christo natoque sexagesimo terno.*

X. fol. 252. sequitur alia, sed aequae concinna manu: *Petri pauli Vergerij Iustinopolitani viri clarissimi Ad uertinum Carrariensem De Ingenuis moribus et liberalibus adulescentie studijs elegans et utile Opusculum, quod jam 1477. Mediolani per Phil. Lavagnam. Brixiae per Jac. Britannicum 1485. et ultima Sec. XV. Decade Venetijs et alibi pluries in 4. prelo subjectum fuit. Initium est: Franciscus senior auus tuus &c. Finis: nil tibi nisi te ipsum uideri defuisse.* Autor, qui *Sigismundum* Imp. in *Hungariam* secutus ibidem circa 1428. diem clausit, Senior adpellatur; *ὀμωρμον* enim habuit sequente seculo, qui *Lutheranorum* partibus in *Germania* se adjunxit. Utriusque vitam et scripta recenset *Niceronius* T. XXXVIII. *Mem. des Hom. illust.* p. 57.

CCXCVIII.

362
Codex membraneus lat. Sec. IX. Folior. nunc 176. f. characterum ductu ad Scripturam dictam *Longobardicam* accedente, rubricisque distinctus priore sui parte *Homilias*, posteriore SS. *Vitas* sive *Passionale* complectitur. Utriusque Partis *Index* prae-

1145

P A T R I S T I C I

1146

praecedit, inscriptus: *Incipiunt Capitula*. Homiliae ut plurimum temporis ecclesiastico respondent. Prima hoc titulo lit. quadr. gaudet: *Incipiunt Lectiones de Nativitate Domini Inprimis de Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi*. Initium: *Legimus sanctum moysen populo dei &c.* Sermo hic inter spurios *Augustini* legitur in *Append. T. V. edit. Maur. Paris. 1683. col. 401. f.*

II. fol. 5. p. 2. Item *Sermo de Nativitate*, extrita inscriptio-
ne, qui incipit: *Clementissimus pater omnipotens deus. cum do-
ret saeculum caenulentis erroribus
inuolutum hominemque mortiferis
criminibus catenatum habuit cum
sua pietate consilium totum redi-
mere mundum &c.* Sermonis hu-
jus Autorem ignoro, cujus ma-
xima fortasse pars deperiit; al-
tero enim mox fol. incurritur in
Augustini Sermonem initio trun-
catum, qui est *T. cit. col. 893.*
octavus in Natali Domini, et hic
ab iis verbis orditur: *ut libera-
ret indignos, quando nec ille ali-
quid mali &c.* Parum ab *Editis*
variat. *Sacer praedixerat Psal-
mus pro praedixerat Psalmus.*
*Merito sancta Maria pro sancta
Maria. Hoc perdidistis si al-
terum habere uelitis pro perditis
si utrumque &c.*

III. fol. 8. p. 2. Item *Omel. de Natal.* Init: *Saluator noster na-
tus de patre sine die &c.* Habe-
tur *T. Augustini cit. col. 1456.*
sed Editores potius in *Vigilium
Tapsens.* inclinant.

IV. fol. 11. Item *Omel. de Natal.* Init: *Rogo vos fratres ka-
rissimi ut libenti animo sermones
&c.* Extat *T. cit. Append. col. 212.*
stylum enim *Caesarii Arelat.*
potius sapit, quam *Augustini.*
Parum variant *Homiliae* istae ab
Editis.

V. fol. 16. p. 2. Item *Omel. de Natal. Domini.* Init: *Filius
(Filius) dei sicut est apud patrem
aequalis illi &c.* Est genuina *Au-
gustini T. cit. col. 888.* sed no-
bis legitur: *sed mundus transit,
permanet deus pro mundus tran-
sit &c.* Abest item Parenthesis il-
la: *idem namque homo idem deus,*
quae superflua et e margine ir-
repsisse videtur.

VI. fol. 18. Incipit *Sermo
Sancti Gregorii PP.* Initium:
*Quia largiente domino missarum
solemnia ter hodie caelebraturi su-
mus &c.* Extat *Opp. T. I. Paris. 1705. col. 1460.*

VII. fol. 20. Incipit *Sermo
Sancti Augustini in Natal. Sancti
Steph.* Initium: *Lectione Apostolo-
rum actuum quae nobis hodie lecta
est dilectissimi fratres cum pluri-
mum habeat &c.* Maximo tribui-
tur in *Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 30.*
uti in *Alcuini Homilia-
rio.* In *Append. T. V. August. col. 350.*
praeit aliud Exordium: *Hesternum die
Natalem habuimus &c.* maximaque
Sermonis pars ad *Caesarium* pertinere dicitur.

VIII. fol. 22. p. 2. Item *Omel. Sancti Augustini ep. in Na-
tal. Sancti Stephani Mart.* Inci-
pit: *Quociens caritatem uestram
secundum*

Cccc 3

secundum

secundum preceptum domini ut (ad) diligendos inimicos prouocare uidemur. Fratres dilectissimi. Timeo ne aliqui cogitent et dicant se hoc nullatenus posse complere. Hoc praemisso sequitur prolixus locus ex Augustini Sermone XLIX. de Verbis Michaeae &c. qui legitur T. V. col. 275. hoc tenore: Sed ecce tibi loquor o homo &c. usque ad illa verba: quae difficile donari posset et genu (flexit) fixit. Dein resumit Noster: Imitemur ergo fratres dilectissimi uel in quantum deus donauerit beatum stephanum &c. et finit: tu imple quod promisti. Quod ipse prestare &c. quae lacinia, an in aliquo alicujus Sermone lateat, ignoro.

IX. fol. 24. Omel. in Natal. Infantium. Initium: Hodie fratres carissimi natalem illorum infantium colimus quos ab herode crudelissimo rege interfectos esse euangelii textus eloquitur &c. Constat ex Augustini, Ambrosii, Caesariique particulis, ut docent Editores T. V. August. append. col. 363.

X. fol. 26. In Circumcisione Domini Nostri Ihesu Christi. Initium: Et postquam consummati sunt dies octo &c. Quid est autem hoc ut octaua die circumcideretur puer ille. Puer qui erat uerbum in principio apud patrem &c. Quid est hoc ut octaua die circumcideretur quod aliud pretermisi. Cum uerus esset deus et erat semper apud patrem. Ita erat uerus homo propter nos et ueram carnem

suscepit propter salutem nostram et ita erat christus dominus in duabus substantiis id est in substantia dei et in substantia hominis absque peccato. &c. Exponuntur deinceps allegorice Circumcisio et Oblatio Turturum aut Columbarum; Christi item mora tridua in Templo. Rursus denique reditur ad significatus varios octavae diei Circumcisionis, ubi et de Diluio et octo Personis in Arca, multis ubique Scripturae locis intextis, dum sic finiatur: in futuro seculo in quo non est imperfectio et semiplemum. Sed omnia perfecta sunt atque plena in quo numero inuenire atque depuotare (sic) optamus et obsecramus. Prestante domino &c. Nescio, ad quem Sermonem hunc referam, ita meam in quaerendo Autorem diligentiam lusit.

XI. fol. 30. p. 2. Incipiunt Omel. de theophania. Initium: Hodierni diei per uniuersum mundum nota sollemnitas quid nobis afferat festiuitatis &c. Legitur T. V. Augustini col. 914. Sed Codex habet: regem nuncii terruerunt pro nuncio. A parte illius superstitionis pro a peste. Et desuper mittebat angelos et deorsum ad se homines uocabat per angelos pro sursum angelos non deserens et deorsum ad se homines per angelos colligens. Nonne hoc audimus etiam nunc pro uidemus.

XII. fol. 33. Item Omel. de epiphania. Initium: Intellegere possumus fratres karissimi quantam gratiam christo domino debeamus &c.

&c. T. V. *append. col. 242.* ubi habes, quare Editores eam *Augustino* abrogent.

XIII. *fol. 35.* Item *Omel. de epiphania.* Initium: *Proxime est fratres karissimi eiusmodi redemptionis nostrae celebrauimus sacramentum &c.* Continuo succedit *append. cit. col. 244.*

XIV. *fol. 38.* Item *Omel. de epiphania.* Initium: *Proxime est fratres karissimi quod die tertia nubcias factas. et quod aqua in uino conuersam (sic) fuisse modo legitur audiuius; Videamus quae sint ille nuptiae. hic adquisitio et reparatio nostrae uocis. et uestis nuptialibus (sic) demonstratur &c.* Finis: *Qui potest maiora exercere miracula quam quando hominem uermem et putridinem dignatur in statum angelicum promoueri. De terrenis in caelestibus conlocare. et in gratiam suae adobzionis adsumere qui est benedictus &c.* Vides textum multis mendis deprauatum. Confer *Eusebii Gallicani* dicti *Homiliam II. de Epiph. T. VI. Bibl. PP. Lugd. p. 623.* cuius, seu sena, seu phrasin spectes, *Excerptum* haec Nostra est.

XV. *fol. 40.* Item *Omel. de epiphania.* Initium: *Nuper celebrauimus diem quo ex iudaeis dominus natus est &c.* Est *Augustini T. V. Opp. col. 908.* sed *Codex* noster legit *de proximo uenientes de longinquo — peruenientes pro accedentes — uenientes. de remotis terrae pro terris. se insinuatum esse pro se in Iudaea natum esse. Ipse est enim Dominus*

noster qui elegit &c. pro *Ipse enim Dominus Deus noster elegit &c.*

XVI. *fol. 42. p. 2.* Item *Omel. de epiphania.* Initium: *Ad partum uirginis adorandum magi ab oriente uenerunt &c.* Iterum *Augustini T. cit. col. 910.* Sed *Codex* querunt — adorare pro adorare delectentur. *Pie timeant — impie timuit pro impius. Iudeos solos diuinas litteras pro solas. de oleastro inserto pro inserti.*

XVII. *fol. 45.* Item *Omelia de epiphania.* Initium: *Ante paucissimos dies natalem domini celebrauimus &c.* Rursus *Augustini T. cit. col. 912.* Sed observa *Codicis* lectiones: *mirifica lingua pro magna. Praedictum erat in psalmo in tituli inscriptione Ne corrumpas pro Tituli inscriptionem. ne corrumpas. Ille (Pilatus) titulum fixit in terra pro scripsit in ligno. Pilatus manus lauit iudaeis exigentibus mortem christi patientis pro Pilatus ex gentibus manus lauit Iudaeis mortem Christi petentibus. Christus ex persona nostra. hoc est. ex persona sui corporis pro ex persona sui corporis. Ut de christo praedicta putarentur pro cum de Christo praedicta recitarentur. Quarum quasdam Impressis praeferas.*

XVIII. *fol. 47. p. 2.* Item *Omel. de epiphania.* Initium: *Domini et saluatoris nostri ihesu christi aduentus in carne &c.* *Augustino* olim subpositus, reiectus in *Append. T. V. col. 238.*

XIX. fol. 49. *Item Omel. de epiphania.* Initium: *Dies epiphaniarum greco nomine sic uocatur. Quod enim nos apparicionem &c. Augustino olim, Ambrosioque etiam tributus legitur in Append. mox dicta col. 246.*

XX. fol. 50. p. 2. *Sermo Sancti Hieronimi in Cathedra Sancti Petri.* Initium: *Uenit dominus ihesus in partes cesaree philipi. Philipus iste est frater herodis de quo supra diximus &c.* Legitur *Commentarior. in Matth. L. III.* estque *Expositio C. XVI. v. 13 — 17.* in edit. *Vallars. T. VII. col. 121.* sed hic prave scripta. *V. 13. pro Juliadem est Libiadem f. Liviadem*

XXI. fol. 52. *Incipit Sermo Sancti Augustini episcopi de exordio Quadragesimae (ita).* Initium: *Moses quadraginta diebus et quadraginta noctibus in heremo ieiunauit. ut legem dei mereretur accipere &c.* Inter spurios extat *Augustini T. V. Append. col. 255.* verum ibi *Periodi duae praecedunt.*

XXII. fol. 53. *Sermo de Jeunio Quadragesimali.* Initium: *Jam dies ieiunii fratres karissimi dies obsecrationis et ut manifestius dicam paenitentiae nobis tempus aduenit. Omnes debemus agere paenitentiam quia omnes errauimus. Nam si scripturae testimonio nec unius diei infans mundus est. quis se immunem audebit asserere et paenitentiae remedia refutare quae etiam sanctis intellegit profuisse &c.* Hinc ad jejunium digreditur, atque inde ad *Mulieris peccatri-*

cis Christi pedes lavantis et ungentis historiam, in cuius allegorica expositione os Christi Paulus, Manus Christi Apostoli, Scapulae Martyres, Pedes Peccatores sunt. Finis: Et ideo FF. plus diligamus. quia plus dimissum est nobis et plura praestemus quia plura sumus a domino consecuturi. Prestante ipso qui uiuit &c. In Sermonem hunc non memini apud ullum Patrem me incidere.

XXIII. fol. 55. *Omelia de Caena Domini.* Incipit: *Hodie fratres karissimi audituri sumus euangelistam dicentem. Quia cum surrexisset a caena dominus &c.* Cento variorum et inter *Augustini spurias T. V. Append. col. 262.* Sed in *Cod. nostro* post ea verba: *sed etiam peccata capitalia purgamus,* alia succedit *Exhortatio de Conviviis paschali tempore moderandis, Neophytis, qui et Albatii dicuntur, ad intemperantiam non provocandis, et Castitate usque ad finem paschae conservanda, hoc initio: Ecce fratres dilectissimi iam deo propitio dies remissionis in proximo sunt &c.* et fine: *sed ad remedium animae uestrae possitis conscientia secunda suscipere. Quod ipse praestare &c.* Neque hanc latinam ullibi reperio.

XXIV. fol. 57. *Omel. de Passione Domini.* Initium: *Dilectissimi fratres. dominus noster ihesus christus nobis salutem exhibuit. diuinae uero naturae nihil minuit &c.* A *Maurianis* in *Mss.* frustra quaesita, inter *Augustino* subpositas

fitas legitur T. V. *Append. col.*
278.

XXV. fol. 59. *Omel. de uigil. paschæ.* Initium: *Domini nostri ihesu christi salutaris et honorabilis sollemnitatis (sic) sua fauente clementia fratres karissimi fideliter ueneremur. pietatemque eius ineffabilem admiremur. Qui non solum nostrae redemptionis causa diuersarum infirmitatum genera subiit. Uerum etiam sacri cultus ritu per diuersas festiuitatum gratias aeternae benedictionis nobis effecit causas. ut licet post multum inerciae somnum non tam inuiti quam uoluntarii sanctae religionis dulcedine prouocante (ad) magnarum sollemnitatum aduentum surgere compellamur. Expergefacti itaque libenter de somno inerciae surgamus. et noctem hanc sanctae paschæ letantes ducamus.* Sequitur deinceps modus huius laetitiae, laus Noctis, et qua ratione sanguine Christi respergamur, ut nos uastator transeat, finiturque: *cum suis congregemur ad caelum Ipso donante qui &c.* Neque huius *Homiliae* vel *Autorem* vel *Exemplar* aliud designare queo.

XXVI. fol. 60. p. 2. *Item Omel. de Sacramento Paschæ.* Incipit: *Non queo fratres karissimi quod mente concipio ore proferre &c.* Extat T. V. *Augustini Append. col.* 282. et *Hieronimi edit. Vallars. T. XI. p.* 215. Spuria.

XXVII. fol. 62. *Item Sermo Sancti Augustini de Pascha Domini.* Incipit: *Pascha christi dilectis-*

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

simi regnum est caeli salus mundi &c. Prout extat inter spurios T. V. *Append. col.* 292.

XXVIII. fol. 64. *Incipit Omel. de Ascensione Domini.* Ita: *Multa sunt diuinarum scripturarum recondita sacramenta &c.* Extat T. V. *Augustini col.* 1073. edita primum e *Cod. Vindocin.* atque ita conferri meretur. Reip-sa tamen parum variat. *Maur. Dominus reuelare dignatus est. Cod. reuelare et aperire. Maur. aliquando ullo pudore. Cod. uel pudore. Maur. in quo resurrexit, ascendit. Cod. ascendit in caelum. Maur. Quasi contristatum est in ipsis. Cod. contritum. Maur. Totus in utero uirginis. Cod. addit: sed in utero uirginis.* In uniuersum emendatiora sunt Edita.

XXIX. fol. 70. p. 2. *Item Omel. de Ascensione Domini.* Incipit: *Glorificatio domini nostri ihesu christi resurgendo et ascendendo completa est &c.* *Genuina Augustini T. V. col.* 1071. Sed terminatur iis uerbis: *si non premit spiritum sarcina peccatorum,* ut testibus *Maurianis* in multis *Mss.* adsolet. Pro illorum: *Facta est ergo uictoria,* *Nofter* legit: *vera uictoria. Ipsi leo dictum est. ipse agnus occisus est, pro ipse leo dictus est, qui agnus occisus est. Ecce plus fecit quam illi insultando exigebant pro Et plus fecit &c.*

XXX. fol. 72. p. 2. *Incipit Sermo de Pentecosten.* (sic) Initium: *Hodierno die credo quod nouerit caritas uestra aduentum sancti spiritus domini aecclesiam caele-*

D d d d

caele-

caelebrare. Promisit enim dominus missurum se sanctum spiritum apostolis suis et secundum fidelissimam pollicitationem suam utique quod promisit implevit. Sicut enim resurrectio domini confirmavit in fide hominum diuinitatem eius qui propter nos homo fieri dignatus est &c. Nescio, ad quem Autorem referendus sit Sermo hic, qui ob unius vel plurium etiam foliorum iacturam integer non est, et in his verbis: unde autem caritas? de digito dei, de spiritu sancto, de eo quod uenit per pentecosten. Unde hoc probamus? quia caritas de spiritu sancto est — deficit.

XXXI. fol. 77. Sermo aliquot lineis multatus, incipiens: exhibeat apparatus, ut quo plus expenderit plus se apostolos amare confirmet &c. Pertinet ad Natalem Apostolorum Petri et Pauli, et legitur inter Sermones Ambrosio abjudicatos edit. Maur. Paris. 1690. T. II. append. col. 463. hoc initio: Natalem beatissimorum apostolorum Petri et Pauli hodie celebrantes &c. Ultimam ejus περιόχην: Illa autem vera est mors &c. Codex non agnoscit.

XXXII. fol. 78. Omel. de Natal. Sanctor. Martyr. Incipit: Memoriam martyrum caelebramus laudes ergo martyrum ammiramus et facta imitemur &c. Eodem hoc Exordio impressa fuit in Supplem. Vigneriano, ut notant Mauriani T. V. Augustini col. 365. a quibus inscribitur Sermo LXIV. de Verbis Evangelii Matth. IO.

Ecce ego mitto vos sicut oves &c. et incipit: Audistis, Fratres, cum sanctum Evangelium legere-tur &c. Postea in his verbis: Si unus lupo inter multas oves ueniat &c. Codex et Edita coincidunt. Sed notant Mauriani, post verba: et facti sunt oves, haberi Additamentum apud Vignerium: Omnibus tamen dicitur — toto terrarum orbe diffusae. In Exemplo nostro non tantum adest, et quidem paullo plenius, Additamentum istud, sed ulterius hoc tenore procurrat: Ideo vos odio habent omnes gentes propter nomen christi. Sed existat aliquis etiam pessimus homo. sit nobilis. sit potens. sit dignitate fulgens. potestate sublimis plurimum possit. mala uelit et ipse odio habetur ab omnibus hominibus. Vox quidem similis, res, causa dissimilis. Propterea quia dominus sciebat ista contingere etiam pessimis hominibus ut odio habeantur ab omnibus hominibus, Audiamus ergo quid monuit &c. Atque deinceps, ut in Editis, non tamen sine notabili lectionis varietate. Ita pro agonem praemisit et qui expectat &c. Noster: agonem proposuit. Sed qui expectat &c. Item: Cujusmodi ergo agonem proposuit. Agon latine certamen est. Quomodo ergo dominus ihesus christus certamen indixit? pro: Cujusmodi certamen indixit. Praetereo alia, maxime, ubi de Serpente et Columbis agitur. Nec finis consentit. Noster: non in ebrietate uentris simul deo placentes. amen. Edita 4. lineis excedunt.

XXXIII. fol. 79. p. 2. *Item Omel. in Natal. Martyrum.* Initium: *Cum omnium sanctorum martyrum fratres karissimi natalem deuotissime celebrare debemus &c. Maximi est in Natali SS. Taurinensium Octauii, Auentitii et Solutoris, prout legitur Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 41. in qua edit. e Nostro emendari potest lectio: alter ortus est, item: praedicationis dominicae aditu, item: confocii sanctitate, rescribendo: tortus est, auditu et confortii.*

XXXIV. fol. 81. *Incipit Omel. in Ordinatione episcopi.* Sic: *Episcopatus fratres karissimi bonum opus est dicente beato apostolo qui episcopatum desiderat bonum opus desiderat; Sed ubi opus auditur labor intelligitur. Quicumque ergo episcopatum sic intelligens desiderat, sine ullo ambitionis tumore desideret, ut enim hoc ipsum apertius eloquar, Ille episcopatum uere desiderat qui populis dei non tam praeesse quam prodesse desiderat. Sed iam nunc ad te mihi sermo est frater karissime de cuius electione tanti in christo populi hodie gratulantur et uere digne et merito gratulantur &c. Plura depromsi, cum non magis Homiliam ipsam, quam ejus Autorem norim, quamvis in Indiculo Codici praefixo Augustino detur. Infumitur illa in opportunis ad novum Praefulem monitis, finitque: Haec si fideliter agimus, cum ante tribunal aeterni iudicis uenerimus securi cum propheta dicere poterimus. Ecce ego et pueri quos*

dedisti mihi. Ubi pro multiplicato foenore talentorum audire mereamur. Euge serue bone et fidelis intra in gaudium domini tui. Quod ipse praestare &c. In quem locum Evangelicum tam in Sacramentario Gregoriano, quam in aliis uetustis Ordinibus apud Martene de antiq. Eccl. Rit. T. II. definire video Adlocutiones ad Neoe-piscopos.

XXXV. fol. 83. p. 2. *Incipit Omel. de castitate etiam cum Uxoribus obseruanda et de auorsibus (abortibus) Mulierum et qualiter adueniente die dominico uel reliquis Festiuitatibus debeant puritatem uel castitatem custodire.* Initium: *Magnum mihi gaudium facitis FF. karissimi dum solennitatibus martyrum tanta deuotione fidei ad ecclesiam conuenitis &c. Augustino abjudicata, et ne quidem integra Caesarii legitur prioris T. V. Append. col. 486. In Cod. abrumpitur his uerbis: iterum arent et seminent.*

XXXVI. fol. 85. compactoris errore inciditur in mediam Narrationem de S. Siluestro, cujus titulus et initium habetur fol. 134. p. 2. atque inde usque ad fol. 140. proceditur, et tunc demum ad 85. reuertendum est. Titulus porro sic habet: *Incipit Actus Sancti Siluestri Episcopi Urbis Romae.* Initium Praefationis: *Historiographus noster Eusepius Caesariensis palaeestinae episcopus. Cum historia ecclesiastica (sic) scriberet praetermisit &c. In decursu Autor anonymus ait, se haec acta de graeco Eusebii in latinum*

tinum transferre praecepto Cujusdam, quem dominum sanctum ac beatissimum patrem compellat. Extant eadem Acta in *Bibl. Augusta graece*, eadem praef. graece praemissa, ut habes *Lambecii L. VIII. p. 321. edit. Kollar. col. 683.* in qua adductis gemina: τον δε της Ρωμης Ἐπισκοπον Σιλβηστρον εκ της ελληνιδος συγγραφης μεταδειναι με κελευσας, ἀγιωτατε Δεσποτα και μακαριωτατε, quae sane pium fucum faciunt, produntque Actorum istorum Conditorum Eusebium non esse, ut quid enim graece scripta graece traducas, nisi dicantur genuina Eusebii intercidisse. Quid quod viro huic non absque injuria Fabulae ejusmodi tribui possent. Itaque jam Gelasii I. tempore verus Autor earum ignorabatur, ut patet ex ejus Decreto apud Gratian. Dist. XV. c. Sancta Romana Ecclesia. E quo simul patet diversa esse ab iis Silvestri Acta, quae Simoni Metaphrastae tribuuntur, producta ab Al. Lipomanno et Laur. Surio ad diem 31. Decembr. Nostra extant multo tamen pleniora T. II. Bon. Mombratii de Vit. SS. f. l. et a. f. Neque enim in Cod. in Libros II. diuisa sunt, neque ulla Philosophorum Cratonis et Zenophili in disputatione fit mentio, totaque Narratio, quae incipit: Silvester igitur Urbis Romae episcopus cum esset infantulus a uidua Matre sua Iusta nomine traditus est Cyreno Prespitero &c. definit in Tauro ab eo resuscitato his verbis: et ex eo cepit ab om-

ni populo romano magnificari nomen domini ihesu christi amen. *Explicit Actus Sancti Siluestri.* Plura de iis Actis Fabricius *Bibl. Gr. T. VI. p. 103. T. IX. p. 141. Bibl. med. Lat. L. VIII. v. Helena, et L. XVIII. v. Siluester*, sed cave, credas totam Silvestri cum Judaeis disputationem inveniri in *Franc. Combesii Bibliotheca PP. concionatoria T. II. ad Dom. I. Quadrag.* ut ille adserere videtur; est enim ibi tantummodo Particula de Domini a diabolo Tentatione integrorum Actorum, quae Combesius in *lectis Martyrum Triumphis Paris. 1660. e Cod. Mazarin. 8.* publicavit.

XXXVII. fol. 100. Incipit Passio Sanctae Agnes Uirg. quae passa est XII. Kl. Febr. Seruus Christi Ambrosius episcopus. Uirginibus Sacris. Initium: Diem festum sacratissimae uirginis celebremus. Hinc psalmi resonent &c. Finis: Haec ego Ambrosius seruus christi dum in uoluminibus additis (Mombr. diuinis, putem abditis) inuenissem — in conspectu domini ualeat inuenire. Regnante domino nostro &c. Olim inter Ambrosii Sermones, ut *Paris. 1569. p. 789.* edita, nunc ei merito abjudicata, legitur apud Mombratium T. I. Vit. SS. et apud Bollandianos T. II. Januar. p. 351. Larga tamen in Cod. nostro Variantium messis, id quod et de sequentibus Legendis dictum velim.

XXXVIII. fol. 106. Incipit Passio Sanctae Agathae Uirginis quae passa

passa est sub decio Imperatore In Prouintia Siciliae Non. Febr. in Urbe Catenensi. Initium, quod apud alios altius: Quintianus consularis siciliae audiens sanctam opinionem uirginis deo dicatę agathę &c. Finis: quod a periculo mortis et incendii merita eos sanctę martyris liberassent. Cui est honor &c. Legitur apud Mombritorium T. I. quem cum 16. Codd. contulere Bollandiani T. I. Febr. p. 615.

XXXIX. fol. 111. p. 2. Incipit Passio Sanctę Ceciliae que passa est X. Kl. Decembr. Initium: Humanas laudes et mortaliū infulas uidimus aut aere inciso conscriptas &c. Finis: In qua beneficia domini exuberant ad memoriam beatae caeciliae usque in hodiernum diem. Et est nomen domini benedictum &c. Extat apud Mombritorium T. I. Re eadem, phrasi passim diuersa legitur apud Surium ad 21. Novembr. qui Sim. Metaphrasten refictorem potius dicere debebat, quam autorem.

XL. fol. 127. p. 2. Incipit Passio Sanctę Luciae Uirginis. Initium: Cum per uniuersam prouintiam beatissimę uirginis agathę fama crebresceret et syracusanus populus &c. Finis: In eodem loco fabricata est sancti nominis eius basilica in quo orationis eius florent nunc et semper &c. Habet Surius ad diem 13. Decembr. ex antiquissimis, ut ait, Codicibus; poterat etiam e T. II. Mombririi describere.

XLI. fol. 131. Incipit Passio Sanctę Columbae Uirginis. Initium: In diebus illis adueniens Aurelianus imperator de partybus orientis &c. Indicata jam alibi. Sed in praesenti Cod. perlecto fol. 131. transeundum est ad fol. 140. ita Compactor ordinem turbavit.

XLII. fol. 132. Sermonis de Annuntiatione B. V. ut videtur, Fragmentum, unde rursus Folium unum alterumve excidisse liquet. Initium est: quod principes huius seculi latuit, Demonem non latuit, qui in euangelio loquebatur: Uenisti buc ante tempus torquere nos scimus te qui sis filius dei &c. Et paullo post: Haue inquit gracia plena quod grece dicitur. Κεχαριτωμεν. Ubi in scripturis alibi legerem non recordor &c. Et deinceps: Uirtus domini saluatoris et cum his est, qui orbe nostro in britania diuiduntur, et cum his qui in mauritania &c. Et ad finem: tribuitque consortium fortitudinis suae etiam huic coetui nostro atque conuentui quo ut et singuli mereamur accipere, Deprecamur dominum ihesum cui est honor &c. Neque Fragmenti huius, neque Sermonis sequentis Autor mihi notus est.

XLIII. fol. 133. Inscribitur hic Sermo: Item unde Supra. Sed nullo negotio obseruat Lector, non de Annuntiatione, sed de Visitatione Mariae rem esse. Initium: De eo quod scriptum est. Exurgens autem con (sic) festinatione uenit in muntana usque ad

eum locum ubi ait. Erit consummatio eorum quae edita sunt. Hoc ad Commentaria quaedam in *Lucae* C. I. v. 39 — 45. unde *Sermo* iste depromptus est, pertinere arbitror, simulque noto, Autorem non fuisse usum *Versione* vulgata, sed potius *Graeca* secutum: ὅτι ἔσαι τελειωσις τοῖς λελαλημένοις pro quoniam perficientur ea, quae dicta sunt &c. Sequitur deinde: *Meliores ad deteriora ueniunt ut eis ex aduentu suo aliquid tribuant emolumentum. Sic et saluator uenit ad iobannem ut sanctificaret baptismum illius* &c. Postquam deinde dixisset: A *Jesu Praecursorem* suum in utero primum *Prophetam* factum fuisse, *Mariam* post colloquium *Angeli* debuisse in sublimioribus commorari, *Elisabeth* matrem a filio sanctificatam fuisse &c. in haec verba: *Benedicta tu inter mulieres*, sic commentatur *Nostrer*: *Debemus in hunc locum ne simplices quique decipiantur et quae solent heretici opponere confutare. In tantum quippe nescio qui prorupit insaniam ut adsereret negatam fuisse mariam a saluatore eo quod post natiuitatem illius iuncta fuerit ioseph, et locutus est quae quali mente dixerit ipse nouerit qui locutus est* &c. *Helvidium* ducem *Antidicomarianitarum* hic peti putem, de quo *Hieronymus*, *Epiphanius*, *Augustinus*, qui cum sub finem *Sec. IV.* extiterit, de *Scripti nostri* aetate aliqua coniectura ferri poterit.

XLIV. fol. 141. Incipit *Conuersio Sanctae Aerae*. Sic: *Apud*

prouintiam retiae in ciuitate augusta tempore quo persecutio diocliciani feruebat &c. Sequitur *Pars altera* inscripta: *Passio Sanctae Aerae*. Utramque edidit vir in colligendis vetustis SS. Actis solertissimus *Bonin. Mombrinius* T. I. de *Vitis SS. Mediolani* sub *Sec. XV.* finem, sine loci tamen et anni nota splendide impressis. Hunc sibi fortassis ignotum secutus *Marc. Welserus* utramque pariter sed *Commentario* instructam publicavit *Venet.* apud *Aldum* jun. 1591. 4. Inde repraesentatae in *Ejus Opp. omn. Norimb.* 1682. f. apud *Bollandianos* T. II. *Augusti* p. 55. apud *Surium*, sed ut ipse fatetur, mutato stilo. *Passionem* absque *Conversione* etiam *Theodoric. Ruinartus Actis Martyrum* intulit, ubi edit. *Veron.* 1731. f. p. 399. legitur. Et haec *Pars* in *Cod. nostro* phrasi magis ab *Editis* abludit. Quin et *Judex*, qui aliis *Gajus* est, nobis *Antiochus* audit.

XLV. fol. 147. p. 2. Incipit *Inuentio Sanctae Crucis. V. Non. Mai.* His verbis: *Anno ducentissimo tricentimo (sic) tertio post passionem domini nostri ihesu christi regnante uenerabile dei cultore magno uiro constantino* &c. Extat T. I. *Mombrinii. Surlus* non habet. *Bollandiani* T. I. *Maji* p. 363. initium ejus adferre contenti jure meritoque ad fabulas ablegant.

XLVI. fol. 155. p. 2. In *Dei Nomine Incipit Passio Sancti Laurentii Archidiaconi Urbis Romae Mar.* Sic: *In diebus illis.*

1165

P A T R I S T I C I

1166

lis. decius caesar. et ualerianus praefectus praetorio iusserunt sibi fixtum episcopum cum clero suo presentare. Sunt potius Acta Sixti et Laurentii connexa. Apud Mombritium extant T. II. sed prolixiore ingressu. Apud Bollandianos, quae Sixti sunt, leguntur T. II. Aug. p. 140. quae Laurentii, p. 518. Surius non habet.

XLVII. fol. 165. Incipit Passio Sancti Clementis Episcopi Urbis Romae Sub die. VIII. Kl. decembris. Initium: Tertius romane ecclesiae praefuit episcopus clemens qui disciplinam apostoli petri secutus ita morum ornamentis pollebat &c. Abruptum est Exemplum ad ea verba: Tunc imperator traianus rescribit debere clementem episcopum aut sacrificiis consentire — —. Integrum extat Mombritii T. I. abest a Surio.

XLVIII. fol. 170. In nomine Sanctae et unice Trinitatis. Incipit Gesta Sanctorum Martyrum. Mauricii exuperii Candedi et Victoris Cum Sex Milibus. Sexcentis ac Sexaginta Sex. Initium: Temporibus Dioclitiani Quondam Romane reipublice principis. Cum ad imperium totius orbis fuisset electus. Omnesque prouintias turbare quarundam praesumptione prospiceret &c. Pariter abruptum Opus in his verbis: quidam eis aurifex; quem adhuc gentilem esse — —. Apud Mombritium non inuenio; habet tamen Surius, habent et Bollandiani T. VI. Septembr. p. 345. qui Gesta interpolata vocant, atque a

se cum pluribus Mss. collata testantur.

Indiculus praemissus fidem facit, praestanti huic et Antiquitatis sacrae Studiosis nequaquam negligendo Codici praeter Recensita infuisse: Sermonem in Natali S. Mauricii sociorumque eius, et Passionem S. Dionysii sociorumque eius.

CCXCIX. VII. E. 5.

Codex membraneus lat. Sec. 3^{as} XIII. Folior. nunc 80. f. per duas columnas nitide exaratus, rubricisque distinctus constat Homiliario, seu Collectione Sermonum a Dominica I. Adventus, quae, ut videtur, olim saltem usque ad Pascha pertigerit, nunc vero mutila est, Sermonibus LXVI. definita, quorum Thematata et Autores enarrabimus: 1. e

Fol. 1. In Aduentu Domini Sermo Maximi Episcopi. Incipit: Igitur quoniam post tempus ieiunii &c. Ab alio videtur adpositum hoc initium. Ceterum est Homilia I. Maximi Taurin. in Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 3. Fol. eod. p. 2. Eodem die Sermo Augustini Episcopi. Incipit: Satis habundeque dixisse me credo &c. Finit: Bonum elemosine mandatum est. per quod manibus operamur. corde mundamur. Prestante domino nostro &c. Non inueni in Augustino, sed legitur in edit. Maur. Ambrosii T. II. append. col. 392.

Fol. 2. Eodem die sermo Leonis pape. Incipit: Dominus noster